

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**De Obligatione Matrimoniali secundum Legem Naturae**

**Wernher, Johann Balthasar von**

**Lipsiae, 1698**

§. II

**urn:nbn:de:bsz:31-102612**

cienda. 23. Grotii sententia de divortio J. N. licito refutat. 23. Judaeorum quaedam consuetudines improbantur. Sensus verborum Christi de divortio ob solum adulterium licito eruitur. 24. Miloni sententia de divortio refellitur.

§. I.

**I**nter officia hominis, quæ vim suam in relatione ad alios exerunt, maximi momenti sunt illa, quæ dirigunt imperantes & parentes. Imperium autem in alios varios agnoscit gradus, pro diversitate scilicet originis, a qua promanat; & commodissimè quidem intuitu Societatum officia hæc dividi videntur posse. Est autem Societas nihil aliud, quam status personarum ad minimum duarum, cum ordine & juribus, quæ illam dirigunt. Dispersæ Societates communiter nec incongruè solent in Primas & Secundas sive Simples & Compositas. Simples & Prima vocantur non illæ, quarum constitutionem non plures, quam duæ persona ingrediuntur, uti vult Hornius d. Civitate l. 1. cap. 1. §. 2. Sed quas aliæ minores societates non componunt; quemadmodum contra Compositæ s. Secunda audiunt, quibus essentiam largitur aliarum minorum compositio. conf. Aristot. 1. Polit. 2. Pufend. d. J. N. & G. L. VI. c. 1. n. 1. Simplicium Societatum divisio abit in Nuptialem & Herilem, atque Paternam. Arist. c. 1. Nuptialem nos hoc loco consideramus, tanquam fundamentum & seminarium Societatum reliquarum. Pufend. c. 1. n. 2.

§. II.

In hac Societate imperium penes maritum videmus esse; quod unde descendat, controversum est. Hornius Polit. l. 1. 6. ut pleraque alia jura, ex Divina Concessione derivat. Cum quo etiam alii faciunt; & haud obscure Osiander Observat. in Grot. l. 11. c. 5. th. 8. Et piè fortasse quidem, sed minùs, ut mihi quidem videtur, philosophicè. Neque enim causam remotam, qualis est Div. Voluntas, quærimus; sed propinquam, ex qua immediatè pronà consequentiâ imperium hoc fluat. Constitutio enim Dei respicit haud dubiè simul pacta, quibus

quibus intervenientibus jus ab ipso concessum in certis se individuū exeret. Quamobrem cum DEUS mulierem maritali potestati subji- cit; exinde non hoc sequitur, quod quævis indistinctè fœmina ali- cui viro debeat subiecta esse; Sed illa demum, quæ in uxoris no- men transierit; quod nomen non simplex est, sed involvit etiam pactum, quo mediante certum se fœminæ individuū certo viro ad- junxerit, adeoque vim constitutionis divinæ jam in actu secundo in ipsam exeri fecerit.

§. III.

Alii sunt, qui maritalem potestatem a *sexu masculini præstan- tia* deductam eunt. Sed non possunt evidentè ostendere, in quo hæc sexus præstantia ponenda sit. Utrum in eo, quod uxori Mari- tius in generationis actu prævaleat, an in hoc, quod mares ad bel- la, aliasque imperii partes obeundas magis idonei sint fœminis, *conf. Præsch. d. bono Cive §. 6. it. Arnif. d. Jure Connubii cap. 1. sect. 1.* Sed & prior præstantia adhuc dubia, ob Medicorum hæc in parte, dissensum, & posterior, si conceditur, tanta tamen, quod ex se manifestum, non est, quæ propterea marito imperium in uxorem conciliare possit.

§. IV.

Potior autem his est, & maximè veritati conformis sententia, quod deducenda potestas hæc omnis sit à *Consensu cohabitationis seu consociationis*, quo mediante fœmina sibi eligit maritum, portio- nemque se familiæ ipsius constituit, hocque ipso non solum ei in cor- pus suum arbitrium committit; sed etiam se quasi obligat; quod ip- sum tanquam familiæ caput in comparandis dispensandisque vitæ subsidiis, sequi velit. Neque verò, uti supra jam monitum, hoc maritalis potestatis à consensu desumptum fundamentum impedit, quò minus etiam dispositioni Divinæ, sed tanquam causæ remotæ adscribatur. Quin potius illud certum, quod non solum uxor in- statu corruptionis vi *Gen. III. v. 16.* (ubi simul hoc imperium onero- sum factum) maritali potestati subfit, sed & in statu integritatis sub- jecta fuerit, idque ob naturalem fœminæ à viro dependentiam, unde *1. Cor. XI. v. 8.* dicitur: *Ὁ υἱὸς ἔστιν ἀντὶ τοῦ κυρίου, ὡς ἡ ἐκκλησία, ἡ σώτην ἑαυτῆς σώσει ὡς ἡ ἐκκλησία, ἡ σώτην ἑαυτῆς σώσει ὡς ἡ ἐκκλησία.* Non Mas à fœmina, sed fœmina à viro est, & v. 9.